

Francisci Xaverii nomen obtinet: tertia inter Oumi-amisos, Angeli Custodis. Infra memoratos lacus, supra ipsam Floridam, vastissimos pererrant campos Ilinæi. Ibi amplissima statio, cui nomen ab immaculata Virginis Matris conceptione impositum, tres in Missiones secatur, & ad fluvium usque Mississipum procurrit. Insidet ejusdem fluminis ripis missio Baigulana, in trigesimo primo gradu latitudinis: demum ultima protenditur secundum eundem amnem versus Mexicanum sinum. Hæc visum est enucleare paulo distinctius, & quasi sub uno statim aspectu ponere, ut intelligatur quò singula referenda sint, quæ postea de Nova Francia narrabuntur.

Restat ignota Europæis adhuc pars Canadæ immensa, ultra Mississipum fluvium, clementiori subjecta cœlo, frequens incolis, armentis frugibusque læta; vitæ veræ ac salutis expers. Hæc generofos Christi milites vocat. Nec non altera [324] longe isti diffimilis, quæ rigidis circa Hudsonium sinum, à gradu LV. ad LX. aut LXX. subjecta septentrionibus, nivibus ac pruinis demersa, tanto æquiùs implorat opem, quanto gravioribus incommodis conflictatur. Hic Societas ante annos paucos prima cœpit figere vestigia. Illucescit illa, spero, dies, cum obvallatum periculis ac laboribus iter eadem perrumpet. Non sine magno molimine claustra Tartari, oppressas injusta servitute animas retinentis, perfringuntur; neque illa ipsa, tot florens modo coloniis, Missio Canadica statim suam est maturitatem adepta. Ægrè per sexdecim